

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0781

0779

0785

0775

0790

Jerusalem requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam
elegi eam. Et in 2 Paralip. VI.: A die, qua eduxi populum
meum de terra Aegypti, non elegi civitatem de cunctis tri-
bubus Israel, nisi hanc. Et alibi: Elegi locum istum, ut sit
nomen meum ibi usque in sempiternum. Sed diceret aliquis:
Fateor, Jerusalem fuisse civitatem electam et sanctam ante
Domini mortem, sed tanto scelere ibi perpetrato indignum
videtur, nominari sanctam, sed profanam et immundam etc.
Ad hoc respondet Jeronymus ad Haedibiam in quaest. de
clamore Domini in cruce dicens: Nulli violentum esse videa-
tur, mortuo Salvatore appellari Jerusalem sanctam civitatem,
cum usque ad destructionem ejus semper apostoli templum
ingressi sint, ob scandalum eorum, qui de Judaeis credide-
rant, legis exercuerint ceremonias. In tantum autem Jerusa-
lem amavit Dominus, ut fleret eam ac plangeret, et pendens
in cruce diceret: Pater, ignosce illis etc. Haec Hierony-
mus. Sed in epistola Paulae et Eustachii ad Marcellam valde
late de hoc disputat, et multa de laude terrae sanctae et
Jerusalem ibidem dicit.

De laude civitatis sanctae, ut illam extollant, tradiderunt
Judeorum Rabbi mira mendacia. Unde Rabbi Johann dicit:
eam altius elevandam tribus leucis. Sed Rabbi Rava dicit:
Quod prima Jerusalem habuit tres leucas in altitudine. Et
quando dicebatur ei, quod labor erat ascendentibus, respon-
dit: non ibant, sed volabant, juxta id: qui sunt isti, qui ut
nubes volant? Rabbi Relachis ampliora mendacia addit, di-
cens: Quod Deus addat sacrae Jerusalem 269 milliarium viri-
dariorum, et 210 milliarium turrium, et 146 millia magnarum
navium, et 300 millia parvarum navium, quas borgas nomi-
nant, et in qualibet erant tot fora, quot fuerunt in Tripoli
tempore suae pacis. Alius mendax Rabbi Joce dixit: Quod
Jerusalem habuerit 140 millia fororum, in quibus solum ven-
debatur ciborum variorum delectatio. Nam eorum Rabbi cra-
pulosissimi erant, adeo crassi et praepingues, ut musca insi-
dens fronti, cum figere se non posset, et aliquibus capilli
percussi, ne cadebant. Ideo glossa dicit: Jerusalem praedi-
cabant pro solatio crapulositatis eorum. Haec ex talmudicis

